



Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam
Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In
Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo
Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt VI. In studium Infideles juvandi omnes ferè, & in heroico gradu,
influunt Virtutes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38601

et peribito, quoniam emulacionem Dei habent, sed non secundum scientiam. In quantum poterat, labo-
bat umbras eis excusationis aliquam obtendere, &
quia sermone illi fidem persuadere non poterat, ad ora-
tiones se convertebat assiduas, tres (ait ibid.) voluntas
quidem cordis mei & obseratio ad DEUM sit pro illis
in salutem, que utique omnia sunt verba amantis, &
valde eorum utilitatibus providens. Et item, Filioli
mei quos iterum parturio, donec formetur Chri-
stos in vobis, & iterum, quoniam Corinthum fornici-
arium ab Ecclesia corpore separabat (ait 2. Corinth. 2.)
2. Co-
ritus, 2.
1. Co-
ritus, 9.
2. Co-
ritus, 2.
Berna-
dus 2. ad
Tim. 2.
Ps. 107.
 ex multa tribulatione, & angustia cordis scripsi
vobis per multas lachrymas, non ut contristemini,
sed ut iacatis, quoniam charitatem habeo abundan-
tius in vos (1. Corinth. 9.) factus sum Judaeis
tanquam Judeus; his qui sine lege erant, factus
sum quasi sine lege esse: factus sum infirmus in-
firmis, quasi universum mundum genuissi, sic pertur-
babatur sic currebat, sic omnes in Regnum Dei festina-
bat inducere docendo, orando, minando, pollicendo, per
sermonem, & per discipulos, per se ipsum conabatur eri-
gere laborantes, stantes vero firmare, torpentes anima-
re, humi jacentes attollere &c. Pro uno servulo Onesi-
mo ad Philemonem integrum scribit Epistolam omni
affectu plenam, milles se ipsum tradidit in mortem, &
at: Ego autem liberatus sum impendam, & super
impendam ego ipse pro animabus vestris. (sic 2. Cor-
inth. 2.) Cumque celsus in omni conficeret arce vir-
tutum, omnem tamen flammam precipuo charitati
ardore vincebat. Ut enim missum in ignem ferrum to-
tum ignis efficitur, sic Paulus charitate succensus, totus
factus est charitas, qui quasi communis cotius mundi
est: Pater, ita in amore omnium ipsorum imitaba-
tur parentes, ac superabat, & pecunias, & verba, &
corpus, & animam pro his, quos dilgebat, impendens.
Sic Chrysostomus.

Divus autem Bernardus in sermone de S. Mar-
tinis, Domine (inquit) si adhuc populo tuo sum necessa-
rius, non recuso laborem (2. ad Timoth. 4.) Bonum
certamen certasti, cur sum consummasti fidem serviisti,
reposita est tibi corona justitia, & adhuc dicas, propter
bonum proximi non recuso laborem, fiat voluntas tua.
Obculsi planè Isaac, unicum illum, quem diligis, quod
, in test. jugulasti, immolasti. Singulare gaudium tuum,
pia devotione paratus iterum redire in pericula, inno-
vare certamina, denuo laborem subire, prolongare
tentationem propter proximum, & à Christo peregrini-
nari diuina illa tanta, & tam optata falcisitate.
Angeli in ministerium mittuntur propter eos, qui bare-
ditatem capiunt salutem, sed tamen semper curantes bo-
num proximorum divina astans presentie. Hanc para-
tus est Martinus propter fr̄ḡres dilatare. Magnum est
Petre, quod Dominum fecuturus omnia reliquisti, sed
audio te in monte dicentem: Bonum est nos id esse, non
est hoc, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso
laborem. (Psal. 107) Paratum cor tuum, ò Martine,
paratum cor tuum, live disolvi, & esse cum Christo; live
manere in corpore, mille subditis laboribus, si id amor
proximi efflagitato.

Ac demum de S. Joan. Chrysost. tanti Magi-
sti nempe S. Pauli Discipulo, aliquid etiam prote-
ramus, ut intelligamus quantus fuerit illius in
proximos charitatis ardor: Sic enim de semetiplo
scribit: Vellere fieri posset, vestris oculis ostendere,
quam in vos habeo charitatem: Nihil enim est mihi vo-
bu jucundius & desiderabilis, ne hec ipsa quidem lux:
Millies enim optarem ipse esse eccl̄as, si per hoc liceret ve-
stras animas convertere, adeo ipsa luce est mihi salus ve-
stra jucundior. Quid enim me juvant solares raxis,
quando, que propter vos accipitur, animi agitudo oca-
lis mei magnas offundit tenebras? Lux enim tunc est
bona, quando appareat in latitia. (Eccl̄ paulo post.) Im-
Thom. à Iesu Oper. Tom. I.

pler gaudium meum licet at vobis salutem affequi, me
autem propter vos reddere rationem, vobis dari salu-
tem, me vero accusari, quod meum manus non imple-
verim: Non enim curo, ut pro me salvissis, sed ut salv̄
sit quisunque ratione.

Et de S. Franciso sanctus Bonaventura in vita Bona-
s. Francisci cap. 5 sic scriptis: Non se Christi reputabat ventura
amicum, nisi animas soveret, quas ille redemit: saluti in vita
animarum nihil praeferendum esse duebat, eo magis S. Fran-
probas, quod unigenitus Dei pro animabus dignatus cisi.
suerit in Cruce pendere.

Ac denique B. Pater Ignatius, (auctore Patre
Ribadeneyra, libro quinto, cap. secundo vita ejus,) ajebat, s̄, si quid ad animatum salutem pertineret,
paratissimum esse nudis pedibus, cornibusque
onustum per plateas incedere, nullumque recula-
re habitum, ridiculum, aut probi oculum vestimenti
genus, quod esse utili hominibus posset; quod re
ipsa comprobavit, si quando lese occasio obtulit:
Etenim contemptus hojas, ac despiciens rerum
omnium, pro animarum lucro, est origo Dei
amoris & proximi.

Plenæ etiam sunt sacrae literæ, & historiæ Ec-
clesiasticae Apostolicis exemplis innumerabilium
hominum, qui & vitam salutis aliorum causa li-
bentissime profuderunt, & ipsas etiam gravissimæ
ignominiae notas subierunt; ut propterea necesse
non sit diuersus in ijs recensendis immorari.

C A P V T VI.

In studium Infideles juvandi omnes fe-
rè, & in heroico gradu, influunt
Virtutes.

Alterum caput, ex quo hujus functionis ju-
vandi Infideles perfectio dicitur, est magni-
tudo, & præstantia carum actionum, quæ hoc stu-
dium comitantur, quæ non modò naturæ vites
superant, sed etiam tanto intervallo anteverunt,
ut sine ubertima gratiæ copia sustineri, neque adi-
tri possint: quare nihil est, quo ubetius laudari pos-
sit, quam ex hoc, quod non una, aut altera virtus,
sed omnium plane virtutum agmen, ac omnes fe-
rè in gradu heroico, & perfectissimo in eum
confluant; Et ut ab ipsis limine incipiāt, hoc est
ab ipsis virtutibus, quæ in primo quasi divinæ
ocationis ad animarum conversionem conceptu,
cum ipsa vocacione in animo à Deo ingenerantur,
nurum est quantam in hoc etiam quasi vesti-
bulo, desiderium ipsum DEO cooperandi in hac
functione operum legerem, & per se meliorum, &
difficiliorum, ac plurimorum offerat sic à Deo
vocatis.

Primum enim vocatio ipsa, & multo magis
studium animas juvandi executioni mandatum,
Apostolicam mentem, animumque efformat in-
trepidum, omnibusque imbuit virtutibus. Atque
ut ab his incipiāt, quæ Theologicæ vocantur,
apertum est, Missionum studium constare non
posse non solum sine fide, sed sine magna, & ex-
cellenti fide: nam quisquis hoc facit, ut proprie
verba labiorum Domini, ea quæ habet, quæ videt,
& quæ diligit, pro his, quæ non videt, deferat, &
præfentia pro futuris, nemp̄ patriam, fratrum
carnalium, consanguineorum, parentum, amico-
rum, divitiarum, ceterarumque commoditatum
omnium emolumenta commutet, ac ingrediatur
vias duras, sine dubio ad maximum, & altissi-
mum fidei gradum pervenit. Magna est deinde
fidei

fidei firmata, & admiranda, quæ hominem non solum intrepidum, sed alacrem reddit ad qualibet tormenta, quamvis immensissima, cruciatu etiam acerbissimum, ad omne denique ignominiose mortis genus pro ejusdem fidei confessione obeyendum. Ac denique heroicæ, atque Apostolice fidei gradus est, pro eadem fide inter gentes propaganda, barbaras, effera tasque gentes, vel cum apero capitis discrimine adire, atque contemptis Oceanis flugibus, piratarum latrociniis, & incommodeis alii ferè infinitæ navigationis usque ad ultimas mundi oras pro ejusdem fidei dilatatione penetrare, ac demum pro eadem fidei sinceritate, integraque conservanda, quem Christus, & Apostoli tradiderunt, eaque farta testa ab omni periculo, & labore hære icorum tuenda, quodvis viæ discutere subire.

Idem quoque de Spe, sive in DEUM fiducia dicere licet; nam cum hujus virtutis proprior sit actio, certissima expectatio vita æternæ; ideo autem certissima est hac expectatio, quia fide uititur, & promissioni ejus, qui non mentitur, DEI. Hanc igitur, missionum studium, tam certo representat, & Christi Athleta ob oculos ponit, ac si manu teneret: quia ut de fide diximus, ob hanc spem conueniunt homines omnia hujus vita commoda, ac si immensis objiciunt difficultatibus, atque periculis. Ad hoc idem etiam Spei caput referunt auxilia DEI, quæ nobis calamitatis oppressis minimè defutura speramus. At cum inter Infideles omnibus humanis prædiis Evangelici virtuti deficiuntur, aspergè varijs tribulationibus circumveniantur, opus est, ut in Deo spem omnem collocent, accum Propheta clement: *Quoniam tu es Dominus spes mea: Nam tribulatio, ut testatur Apostolus, patientiam operatur, patientia probatum, probatio vero spem: nam & calamitates, afflictiones, fortunatusque adversas infligit Deus, ut a timum terreni, humanisque subditiis destitutum, spe viva in Deum fulti, ad Divina auxilia procuranda convertamus.*

Ad hanc etiam virtutem spectat actio illa, quæ tantopere in operatis hujus Evangelie functionis reluctat, nempe fiducia in DEUM; haec enim armati adversus barbarorum, infestissimorumque hominum rabiem, ac inter maxima pericula intrepidi incedunt: ac demum hac in DEUM fiducia per tot maris, terræ, quæ discrimina, per tot gentes, linguis, moribusq; dissimilas, ad ultimas universi O. bis transiunt Regiones.

Et quia oratio est tribulationum comes, & divinitate spei soboles, eam huic functioni conjunctam esse oportet.

Sequitur deinde charitas, quæ virtus inter omnes prima est, & non tam spectat ad hanc functionem, quam est ipsissima functio: Quia enim ignorat ipsam intrinsecus ei inselle, & dici charitatem in proximum, quæ sine DEI Charitate consistere nequit. Sed cum & charitatis duplex sit munus, alterum in Deum, in proximos alterum: in Deum quidem, quia cum solus Dei amor animam impellat in arctissimam levitatem laboribus, periculis, ac immensis penæ incommodis referat, illum oportet esse maximum. Deinde cum inter omnia charitatis opera maximum, ac præstantissimum sit martyrum, quia malum istud, quod in eo toleratur, omnium acerbissimum, nempe ipsa mors, & bonum quod relinquitur, quod est ipsa vita, omnium suavissimum, ac negotiatio illa caslesti occasionem martyrio offerat, desideriumq; illud sufferendi animo inferat, & aperè portius martyrum voluntari, quam voluntas martyrio defici-

at, (quamvis ex sententia Theologorum ad martyrij rationem mors ipsa necessaria sit) hæc tamen perfectio Tyranno deficiente non deficit: nam & incommodates corporis, animique cruciatu alfidui, non unum tantum martyrium, sed plura in hac functione inveniuntur; neque in solo martyrij desiderio charitatis resplendet amplitudo, sed & quotidiana hujus functionis exercititia omnia nihil aliud spectant, nisi ut hunc Dei amorem alfiduis incrementis provehant.

Ab hoc fonte charitatis erga DEUM in proximis amor emanat, quo salutem proximorum non solum precibus, & desideriis promovent, qui juvandis Infidelibus vacant, sed omnia hujus functionis studia in hunc finem diriguntur, ut opera ipsa declarant, quæ non tantum ad propriam, sed & ad aliorum utilitatem referuntur. Ob hanc enim proximi dilectionem ad remississimas, & ferociissimas nationes belluiniis moribus predicas penetrare non dubitant, tot, tantasque difficultates vincunt, ut charitatis gradum supremum atq; gisse non dubitem: ex quo satis appetit huic functioni, non tam annexam esse charitatem, quam eam esse ipsissimum, ac perfectissimum charitatis actum.

Ex charitate vero Dei eriam ardens orationis studium promanat, est enim amans ejus, quem amat, aspectu, colloquio, & confutudine velle semper frui, si posset; oratio autem conversatio est cum DEO. Quapropter sancti viri, quo magis Dei, & proximi amatores, eò studiores orationis existent, exemplum Apostolorum, qui in vocatione gentium laborantes, alia alijs omnia demandantes duo tantum sibi sumperant, ut orationi, & ministerio verbi instantes essent. His enim duabus functionibus oratione ad DEUM, & prædicacione ad homines Apostolica cura definita est: Quare universa Apostolica cura negotiique gerendi caput Oratio fervens, assidueque esse debet: quia cum animarum conversio gratie res sit, que imperati precibus potest præveniri meritis non potest, oportet ut nihil magis conjunctum sit cum ministerio animarum, quam orationis studium: ita ut qui velit in hac vinea fructuose operari, illud non intermittendum sibi suadeat, in quo lachrymis, fleribus, jejunis, vigiliis, crebris, & que omni carnis maceratione Deum sibi proprium reddat, atque ab ipso toto mentis affectu, plena que fiducia postuler, tum ut ipsum in medio tot periculorum protegat, tum ut Evangelium crescat, atque multiplicetur.

Neque timendum est sancti Evangelij operariis per universum orbem peregrinantibus, qui sapientia in vita, & vita, laboriosisque negotiis versantur, ideo orationis studium impediri, quia cum negotia, quæ ab illis geruntur, spiritualia sint, & ob Dei & proximi amorem sollempnia, non ideo in his occupari à Deo lejunguntur, quin potius ei magis adhærent, quoniam & illi Dei, & DEUS illis in hujusmodi functione cooperatur. Quinimodo hujusmodi peregrinis Deus per Isaiam dulcedenem contemplationis promittit dicens cap. 56. *Isa. 56.*
Filios advena, qui adhaerent Domino, & colant eum, & diligunt nomen ejus, & sunt ei in servos; Adducam eos in montem sanctum meum, & latificabo eos in monte orationis meae, holocausta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo &c. Qui sunt isti advena, qui colunt nomen Domini, &c. nisi qui pro ejus gloria, & sui nominis exaltatione, tanquam peregrini, non habentes hic civitatem permanenter per totum orbem exercunt?

Ceteræ vero morales virtutes non minus resplendunt.

splendent in salute proximi procuranda, nam si de Justitia disserat, cum hujus officium sit unicuique quod suum est tribuere, ac in primis reddere, quae DEI sunt, DEO, & quae proximi, proximo; in hoc uno scire tota haec animatum functione perficitur.

Jam vero quod atinet ad Prudentiam, divina ea quidem est, qua animi eorum, qui juvandis infidelibus vacant, moventur: Nam cum prudentia sit cognitione rerum appetendarum, & fugienda, demonstrans nobis quid agendum, quid vero viandum sit, ut recta via, & consilio ad finem perveniamus; ea, quae docet mundana despicer, honores & divitias contemnere, Deum & proximum tantum querere, Divina & non humana prudenter censeri debet.

Temperantia vero, atque omnium virtutum, quae illam ut partes ornant, propria sedes est haec Apostolica functione, in qua & vietus tenuis ferè semper est, isque aut precatio quæstus, aut elemosyna nomine ultro oblatus, nec ciborum delectum querens, sed quæ apponuntur, Christo auctore, cum gratiarum actione accipiens. Lectuli deinde mollietatem non requirit, nam & quicunque locus ad cubandum aptus videtur, ac læpi nuda humus cubile præbet. Omitto nunc ceteras corporis austeritates spontaneæ assumptas: his vero quantum frænentur, ac moderentur libidinis impetus, ac delectationes aliae, experientia docet, ac perinde quanta occasio sit, ut castitas etiam in hoc ministerio resplendeat, aperte colligitur.

Humilitas vero, quæ annexa est Temperantiae, & quæ potissima inter morales virtutes reputatur, luculentissimè etiam in hac functione resplendet: aliud quippe nihil est hoc animatum lucrandarum officium, quam abdicatio, & contemptus omnium hujus mundi vanitatum, in quo quis omnium se servum constituit, ac humillimus ministerii exponit, quod proslus alienum est ab omnini fama, ac nominis celebritate.

Tandem superest Fortitudo, quæ potissimum locum vendicat in hac functione: nam præcerat eam vim, quæ caro ab Apostolicis viris vincitur, prius voluntatibus restituit, & delectatio vita proleas contermit, adversa superantur, quæ fortis, & invicti animi actiones sunt. Aliae etiam actiones præstantissime reputantur, ut sunt aperta vita discrimina ad singula penitentia subite, & saepè apud homines (ob bellinos ipsorum mores) vix homines elicendos, verari. His igitur, & aliis innumeris periculis, & incommodis, quæ passim obvia sunt, non terret, sed potius incredibili animi magnitudine objecta contemnere, & superare, ingentis fortitudinis est argumentum. Ut nunc omittam pauciorum occasions, quas frequentissimè opus conversionum Evangelicis Ministeriis suppeditat, in quibus ingens est meritis, ac præmiorum semen.

Hujus vero Patientie, ceterarumque virtutum agmen in B. Apostolo Paulo, qui Apostolicæ virtus apotissimum fuit exemplar, eleganter descriptus S. Joan. Chrysostom. Homil. 2. de Laudibus Pauli: Corinthius inquit scribens: Placeo mibi in periculis, & infirmis aliis meis. Itaque cum inter medias inimicorum versaretur infidias, ovans tamen de omni eorum impugnatione referbat victorias: & ubique casus verberibus, affectus injurijs, atque maledictis, quasi triumphales pompas ageret, cibra trophaea strueret, orabat, Thom. à Iesu Oper. Tom. I.

gratiæ usque referebat Deo, dicens: DEO autem gratias, 2. Co- qui semper triumphat nos. Itaque ad confusiones, & iniurias, quæ ob prædicandum Christum suscinebat, magis quam ad bonorum oblationes se preparabat, mortem potius, quam vitam appetens, paupertatem quam opulentiam, & multò amplius laborem desiderans, quam alij requiem post laborem, ac marorem

magis eligens quam alij voluptatem, studiosius pro iniunctis orans, quam alij adversus inimicos. (Et postea) Non dico quia nihil præsentium desiderabat, sed nec ipsorum aliquid futurorum. Non enim mibi dicas urbes, gentes, exercitus, provincias, pecunias, potestates, hec enim ille quasi arenam vilia reputabat: sed ea ipsa penè, quæ promittuntur in cælo & tunc ejus ardenter amorem in Christum videbis: hic siquidem præ illius dulcedine non Angelorum, non Archangelorum admirans est dignitatem, neque quicquam horum simile concupivit. Quod enim erat manus, omnibus Christi amore seruebatur, cum hoc beatorem se cunctu putabat, sine hoc autem, neque dominationum, neque principiatus socii esse cupiebat, sed cum hac dilectione magis esse extre- sum optabat; imo etiam ex numero punitorum, quam sine hac inter summos, & honore sublimes: hoc enim erat illi maximum, & singulare tormentum, ab hac charitate discedere, hac illi erat gehenna, hac sola pena, hac intoleranda supplicia: sicut etiam perfruuntur charitate Christi, hoc illi vita, hoc mundus, hoc Angelus, hoc præstantur, hoc futurum, hoc Regnum, hoc promissio, hoc bona videbantur innumera; prater hoc vero nihil in tristium parte ponebat. Horum enim, quæ habentur, nihil asperum, nihil etiam suave reputabat; sic despiciens universa, quæ cernimus, ut solet herba jam putrefacta contemni. Tyrannos vero ipsos, ac populos spirantes furorem, velut esse quodam culices existimat. Mortem vero, & cruciatu, & mille supplicia quasi ludum putabat esse puerorum, dummodo propter Christum aliquid sustineret. Tunc enim, tunc amplectebatur liberter, & decorabatur vincitus catenæ magie, quam diademate coronatus; etenim coarctatus carcere habitabat cælum, ac libertine verbena excipiebat, & vulnera, quam alij bravia diripiunt, & dolores non minus, quam præmia diligebat, cum ipsis utique dolores loco duceret præmiorum. Hæc S. Chrysostom.

Quales igitur, quantæque virtutes, quam heroicæ, divinissimæque in hac D. PAULI pro animabus legatione resplendent? quibus sine dubio & prædicti fūtūreali Apostoli Christi, & qui eos postea imitati sunt, innumeris viris Apostolici.

Quare cum studium salutis animatum, maximè Infidelium, tot tantisque abundet virtutibus, quid aliud esse dicemus, quam auream coronam ex omni gemmarum, & margaritarum genere compositam; sic enim cui missionum desiderium à Deo inspiratur, eodem fermè tempore hæc eadem corona tot bonis, totque operibus virtutum pretiosissimis ornata capiti imponitur: nam cum ad Dei providentiam spectet, ejus, cuius excitat mentem, actiones juvare, mediaque proportionata ad optatum finem consequendum conferre, cum DEUS aliquem ad hanc Apostolicam culturam vocat, opus est, ut omnes virtutes, quæ ad perfectè exequendam haec functionem sunt necessariae, impetratur.

Chrysostomus
2. de
Laudibus
Pauli